

Pythagoras, qui legitur Socrate antiquior, prophetam secutus David, legem silentii dederit suis? Sed ille, ut per quinquennium discipulis usum inhiberet loquendi: David autem non ut naturae munus imminueret; sed ut custodiam proferendi sermonis doceret. Et Pythagoras quidem ut non loquendo loqui doceret: David ut loquendo magis disceremus loqui: quomodo enim sine exercitio doctrina, aut sine usu profectus? Qui disciplinam bellicam vult assequi, quotidie exercetur armis, et tanquam in procinctu positus praeludit praelium, et velut coramposito praetendit hoste: atque ad peritiam viresque jaculandi, vel suos explorat lacertos, vel adversariorum declinat ictus, et vigilantia excipit obtutu. Qui navim in mari regere gubernaculis studet, vel remis ducere, prius in fluvio praeludit. Qui canendi suavitatem et vocis affectant praestantiam, prius sensim canendo vocem excitant: et qui viribus corporis, legitimoque luctandi certamine coronam petunt, quotidiano usu palaestrae durantes membra, nutriendas patientiam, labori assuescunt. Nec non ipsa natura nos in parvulis docet, quod prius sonos meditant loquendi, ut loqui discant. Itaque sonus, exercitatio quaedam et palaestra vocis est. Ita ergo et qui volunt discere cautionem loquendi, quod naturae est, non negent, quod custodiae est, exerceant: ut qui in specula sunt, speculando intendant, non dormiendo. Omnis enim res propriis ac domesticis exercitiis augetur. Ergo David tacebat non semper, sed pro tempore: non jugiter, neque omnibus, sed irritanti adversario, provocanti peccatori non respondebat. Et sicut alibi ait: Loquentes vanitatem et cogitantes dolum, non audiebat quasi surdus, et quasi mutus non aperiebat illis os suum; quia et alibi habes: Noli respondere imprudenti ad imprudentiam ejus, ne similis illi fias. Primum igitur officium est loquendi modus. Hoc sacrificium laudis Deo dependitur, hoc reverentia exhibetur, cum scripturae